



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

Linguarum imbrem pluit in suos. 94

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

## Ascendit in Nube

Ex Orbe, in quo tam male exceptus egrediens,  
Pulverem non excussit e pedibus,

Sed attraxit

Nunquam gravis telluri,  
Nisi cum eam onere levaret suo.  
Quam inhaereret hominibus conjice,  
Qui tali glutino inhaeresceret saxis,  
Quæ condoluerant morienti.  
Meruere oscula triumphantis,  
Jam non futurus Viator  
Ipsos in terra propemodum  
Oblitus est pedes.

Se in itinere non trito sequutis,  
Quid utilius relinqueret, quam vestigia?  
Primus à Dei Urbe Lapis hic esto;

Quo qui venerit,

In illius finibus esse se sciat,

Non uno hic Dei digito, sed bino pede,  
Ea scripta lex homini,

Ut cœlum, nisi tellure calcata, non speret,

Triumphalis Cœlitibus Dies,

Eos candicare iussit in vestibus.

Hæc in Regno Innocentiæ purpura est.

Humanitatis facti sunt Candidati,

Ex quo titulus hominis

Dignitas esse cœpit in Deo.

*Preceperat suum  
ubi vos non receperint,  
excute pulverem de pedibus.*

*Saxa in illius obitu  
fracta sunt.*

*Iter salutis ad eam  
diem utique ignotum,  
& a nullo tritum.*

*Alludit ad lapides  
indices distantia in  
publicis viis.*

*Et olim in Sine  
lex scripta digito  
Dei.*

*Quare in albis apparere  
cœperint Angeli post Christi  
triumphum.*

*Alludit ad Candidatos  
Consulatus, & aliarum dignitatum  
apud antiquos.*

## ELOGIUM XCIV.

LINGUARUM IMBREM PLUIT  
IN SUOS.

*Act. Apost. cap. 2.*

Quæ ascendit ad veri Jovis dexteram

Aquila,

Illi non ministravit fulmina,

Sed excussit.

Extulit Cœlum e terra halitus,

Quid mireris in aère Meteora?

Venti, & fulmina

*Aquila magna-  
rum alarum. Christi.*

*Poeta vero Aquilam  
ministrare Iovi  
fulmina fingebant.*

*Meteora ignea, ut  
Cometa, &c. ex halitibus terra  
ascendentibus, sicut*

Sub- & venti.



*Tellus sublimata  
humanitas Christi.  
Ad illud cum cō-  
plerentur dies Pen-  
tecostes.*

*Quare sederint  
igneæ linguae supra  
singulorum cervi-  
ces.*

*Expectabāt, ut da-  
retur illis de Cælo,  
quomodo, quid lo-  
querentur.*

*Latebant in Cœna-  
culo propter me-  
tum Iudeorum.*

*Dixerunt Turba,  
ecce omnes isti e-  
brii sunt.*

*Ut enim impleatur  
vacuum, ascen-  
dunt gravia, de-  
scendunt levia.*

*Quare factus de  
Cælo sonus, tanquā  
advenientis spiritus  
vehementis.*

*Dixerat olim  
Deus, nō permane-  
bit Spiritus meus  
in homine, quia  
caro est.*

*Pharos maritimæ  
turris in cæco errā-  
tibus rectum indi-  
cat iter.*

Sublimata trahunt de tellure materiam,  
Inanes ultra esse non decuit homines,  
Cum jam complerentur & dies,  
Deprehensus in tempestate  
Ireitur à piscatoribus Deus,  
Et mitiora consentiens in jura captivus,  
Indices iracundiæ flammæ  
Ponit emblemata Charitatis,  
De linguarum semine cordium messor  
Supra vertices statuit  
Sublimiora Mortalibus loquuturas,  
Taciti, ex quo sine Verbo discipuli,  
Dum non jam verbum à lingua,  
Sed à Verbo linguas expectant,  
Assiduis ubi lacrymis agnoverunt,  
Fetti adhuc  
Spiritus Domini super aquas.  
Per Judæorum metum  
Ad Dei proficientes amorem,  
Cœnaculum abstinentia dedicantes  
Linguas attraxere silentio,  
Ebiertatem jejunio contraxere,  
Terra iterum sine Christo.  
Inanis, & vacua  
Eam infert igni violentiam,  
Ut descendat.  
Parentium tormina  
Expertum Cælum est,  
Cum Veritatem, & Justitiam  
Diu desiderato puerperio daret in lucem.  
Quando quidem jam perfecerat opus suum,  
Sedit opifex spiritus,  
Utique permansurus in homine,  
Quia caro jam non est,  
Portus Salutis  
Ne in cæco errantibus frustra pateret,  
Multiplici munitus est Pharo.  
Felix quicumque  
His iter suum regat indicis.

ELO-